



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. LXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

EPIST. LXIX.

LOCA non mutanda, sed magis quiescendum corpore, ut & animus possit. Hunc in salutari studio desigendum, & que auocent vitanda.

MVTARE te loca, & in alium de alio ¹ transilire, nolo. Primum, quia tam frequens migratio, instabilis animi est. ² coalescere otio non potes, nisi desinas circumspicere & errare. Ut animum possis continere, prius corporis tui fugam siste. Deinde, plurimum remedia continuata proficiunt. interruptenda non est quies, & vitæ prioris obliuio. Sine dediscere oculos tuos: sine aures assuescere sanioribus verbis. quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renouent cupiditates tuas, tibi occurrent. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, auertat. Cito rebellat affectus. quocumque se verterit, pretium aliquod præsens occupationis suæ adspiciet. Nullum ³ sine auctoramento malum est. Auaritia pecuniam promittit: luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant: hæc tibi gratis viuendum est. Vix effici toto sæculo potest, ut vitia tam longâ licentiâ tumida subigantur, & iugum accipiant: nedum, si tam breue tempus interuallo discindimus. Vnam quamlibet rem vix ad perfectum adducit assidua vigilia & intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare. exerce te, ut mortem & excipias, & si ita res suadebit, accersas. interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitissimi cuiusque verbum, falsum esse ipse tibi persuade: *Bella res est, ⁴ mori suâ morte.* Illud præterea tecum licet cogites: Nemo ⁵ nisi suo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis, alienum est.

EPIST. LXX.

POMPEIIS se fuisse, & præteriti temporis admonitu, sensisse eius fugam. Mortem instare, portum nempe iactationum. neque timendam, neque appetendam, aut sumendam: nisi interdum. & quando? cum ratio, non impetus suadebit. Pluria & perpulchra in hunc sensum.

POST longum interuallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adolescentiæ meæ reductus sum. quidquid illuc iuuenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse, & paullò antè fecisse. Prænaugamus, mi Lucili, vitam: & quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noster,

— Terraque vrbesque recedunt:

D sic in hoc cursu rapidissimi temporis, primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter iuuenem & senem medium, in vtriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos. nouissimè incipit ostendi publicus finis generis humani. Scopulum esse illum putamus, dementissimi? ¹ portus est, aliquando

EPIST. LXIX. 1. TRANSILIRE NOLO.] Meus & aliquot scripti, transire.

2. COALESCE RE OTIO NON POTES.] *Ut enim ipse alibi: Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur.*

3. SINE AVCTORAMENTO.] *Sine mercede & pretio, quod antè dixit.*

4. MORI SVA MORTE.] *Ita Suetonius, de Tullianis percussoribus: nemo amplius triennio super-*

uixit, neque suâ morte defunctus est. Suâ, id est ex natura communi lege, quam manu non facis. Opponitur mors sibi dātoros, violenta.

5. NISI SVO DIE.] *Verissimum est: nostra ratiocinio præmorimur; facti decreto morimur.*

EPIST. LXX. 1. PORTVS EST.] *Vitam cum mari conferri, & in eo agitatione, crebrum. Quies autem & portus, in morte. Vide Consol. ad Polyb. cap. XXVIII.*